

Nihil Al-  
chimia  
sublimius  
exceptis sa-  
cris literis.

Cur arti-  
cōtra dica-  
tur.

Abusus  
aut operan-  
tium error  
aut igno-  
rantia artē  
nō tollunt.

Libr. de  
Anima.

Quare ra-  
rissime ar-  
tē quis adi-  
piscatur.

Auaritiā  
& pauper-  
tatem mul-  
tis obesse.

Secreta nō  
vulganda.  
Prouer. 10.

lorum, Germanorum, Hispanorum & Anglorum de  
metallorum metamorphosi monumenta, quotidie cu-  
riosorum hominum manibus teruntur: qui omnes vno  
quasi ore (quanquam linguis dissonis) clamant, artem  
esse verissimam, nihilque, post legem diuinam, in qua  
est salus animæ à summo Deo in hoc mundo, homini,  
collatum fuisse magnificentius aut sublimius: & pro-  
pterea summo studio inuestigandam, vigilique, labore  
quærendam prædicant. Forte in hoc falluntur qui ar-  
tem negant, quod cum infiniti Chymicis vacent, nemi-  
nem videant qui se scientiam adeptum esse gloriatur:  
sed sapientibus & causas euentuum perscrutantibus ni-  
hil admiratione dignum contingit. Quotusquisq; enim  
in debita materia operatur? vnus vix è millibus, Quid  
igitur mirum si debito frustrentur fine? Quare non in-  
sulse Auicenna. Qui accipit quod debet, & miscet & o-  
peratur sicut debet, procedet inde quod debet procede-  
re. Et plerique indocti plane sunt & ἀμύστοι, qui ne  
communem quidem latinum sermonem intelligunt,  
quanto minus metaphoras & sapientum analogias?  
Alij quamuis docti sint & ingemo perspicaci, tamen li-  
bros non habent, aut quia expendere & illorum pretia  
soluere non velint ob auaritiam, aut non possint ob pau-  
pertatem, aut quod exemplaria inuenire nequeant ijs  
in locis quibus commorantur, & à peregrinatione ab-  
horreant. Illi vero qui libros & artem per Dei grati-  
am consequuti sunt, meminerunt dicti Salomonis. Sa-  
piens abscondit scientiam, os autem stulti confusioni  
proximum est: neque enim desunt causa quare scientes  
sese non manifestent. Sed si neganda sunt quæ rarissi-  
me aut nunquam videre contigit, Historia omnis tam  
sacræ quam prophane fides imminuetur. Quis enim  
pluui-